

Lectio vi.

E piscopali auctus dignitate, commissum sibi gregem pascens monitis, consiliis, scientia, verbo, & exemplo, innumeros peccatores ad viam salutis revocavit. Eximia fuit ejus prudentia, charitas, mansuetudo, & misericordia, presertim in pauperes, erga quos, ut largior esset, necessaria sibi detraxit. Peculiariter, qua pollebat gratia dissidentes animos sedandi, Oxomam accitus, ut ea dissidia componeret, quae inter Clerum, & cives jamdiu exarserant, ad pacem, & concordiam statim illos adduxit, divinis etiam, ut fertur, accedentibus prodigiis. Ibidem gravi morbo correptus, magnis laboribus exantlatis, qua praedixerat hora, obdormivit in Domino maxima sanctimoniae fama, & miraculis clarus. Ejus corpus delatum ad montem Latuircium, eo loco publice fidelium venerationi expositum fuit, in quo nunc ab ejus nomine Ecclesia Sancti Prudentii nuncupatur.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus replata est: **V.** Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contemptissimam vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium Homo peregrin, de Communi primo loco, nona Lectio & Commemoratio S. Vitalis Martyris.

DOMINICA III.

post Pascha.

Festum Patrocinii S. Joseph Confessoris, Sponsi B. Mariae Virginis. Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Jacob autem, cum reliquis de Laudibus. 62. Psalmus Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica. 100. &

loco ultimi, Psalmus Laudate Dominum omnes. 103.

Capitulum. Genes. 49. d

Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collum aeternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazareth inter fratres suos.

Hymnus.

TE, Joseph, celebrent agmina Caelorum,
Te cuncti resonent Christianum chori,
Qui clarus meritis, junctus es in clytæ

Castro federe Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem

Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus

Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exteras

Aegypti profugum tu sequeris plagas;

Amisum Solyms quaeris, & invenis,
Miscens gaudia flētibus.

Post mortem reliquos mors pia consecret,

Palmamque emeritis gloria suscipit:
Tu vivens, superis par, frueris Deo,
Mirā sorte beator.

Nobis, summa Trias, parce precantibus:

Da Joseph meritis sidera scādere:
Ut tandem liceat, nos tibi perpetim

Gratum prōmere canticum.
Amen.

V. Constituit eum dominum domus suae, alleluia. **R.** Et principem omnis possessionis suae, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, alleluia.

Oratio.

Oratio.

DEus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta quasumus; ut quem protectorem veneramus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Qui vivis &c.

Et sit Commemoratio Dominica.

Ad Nativum Invitatorium.

Laudemus Deum nostrum. **V.** In veneratione beati Joseph Protectoris nostri, alleluia, Psalmus. Venite, exultemus. 1. Hymnus. Te, Joseph, celebrent agmina caelorum. ut supra.

In primo Nocturno, Antiphona.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Aegyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi, alleluia.

Psalmi. Beatus vir. Quare fremuerunt. Domine, quid multiplicati sunt, de Communi Confessoris non Pontificis. lxxii.

V. Confitebor nomini tuo, alleluia. **R.** Quoniam adiutor, & protector factus es mihi, alleluia.

De libro Genesis.

Lectio j.

Cap. 39.

Igitur Joseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putifar eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperus agens: habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, a quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & universa, quae ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui

Pars Hyemalis.

Aegypti propter Joseph, & multiplicavit tam in aedibus, quam in agris cunctam ejus substantiam: nec quidemquam alium noverat, nisi panem quem vesebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu.

R. Clamavit populus ad Regem, alimenta petens: **V.** Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, alleluia. **V.** Salus nostra in manu tua est, respice nos tantum, & laeti servimus Regi. Quibus ille.

Lectio ij.

Cap. 51. c

Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus: locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quae locutus es, nunquid sapienterem & consimilem tui invenire poterō? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: in unum regni solio te praecedam. Dixitque rursus Pharaon ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Aegypti. Tultique annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus; vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super curram suam secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, & praepositum esse scirent universae terrae Aegypti. **V.** Fecit me Deus quasi patrem Regis, & dominum universae domus ejus: **R.** Exaltavit me, ut salvos fieret multos populos, alleluia. **V.** Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terrae. Exaltavit me.

Lectio iij.

Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharaon: absque tuo imperio non movebit quisquam

Bbbb

ma-

manum aut pedem in omni terra Ægypti. Veritque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Asebeth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circumvit omnes regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulis redacta segetes congregatae sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

R. Jam letus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te reliquo. Non sum fraudatus aspectu tuo. * Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum, alleluia. **V.** Qui pascit me ab adolescentia mea benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

In secundo Nocturno, Antiphona. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui querebant animam pueri, alleluia. **Psalmi.** Cum invocarem. Verba mea. Domine Dominus noster. **de Comm. Conf. non Pont.** lxxv. **V.** Respice de caelo, & vide, & visita vineam istam, alleluia. **R.** Et perfice eam, alleluia.

Sermo Sancti Bernardini Senensis. *Serm. 1. de S. Joseph, in proam.*

Lectio iv.

Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturae communicatarum, generalis regula est, quod quodcumque

divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donat, quae illi personae sic electae, & ejus officio necessaria sunt, atque illam copiosè decorant. Quod maxime verificatum est in Sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, & vero Sponso Reginae mundi, & Dominae Angelorum, qui ab aeterno Patre electus est fidelis nutritus, atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, & sponsae suae quod officium fidelissime prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.

R. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, & dextera tua suscepit me. * Protector meus, & cornu salutis meae, & susceptor meus, alleluia. **V.** Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Protector.

Lectio v. *Art. 2. cap. 3.*

Si compares eum ad totam Ecclesiam Christi: Nonne iste est homo electus, & specialis, per quem, & sub quo Christus est ordinatus, & honestè introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debetrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est: Sic profectò post eam huic debet gratiam, & reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populus frumentum servavit. Sed & hic illum praecellit, quia non solum Ægyptii panem corporalis vitae, sed omnibus electis panem de caelo, qui

ce-

caelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

R. Staret filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabatur: protegerit sub tegmine illius a fervore, * Et in gloria ejus requiescet, alleluia. **V.** Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in.

Lectio vi.

Art. 3.

Profectò dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum aegeret in humanis, tamquam filius patri suo, in caelis utique non negavit, quin potius complevit, & consummavit. Unde non immerito in verbo proposito à Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde licet gaudium aeternae beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium. Ut mysticè innuatur, quod gaudium illud non solum in eo est intra, sed undique illum circumdans, & absorbens, & ipsum velut abyssus infinita submergens. Meménto igitur nostri beate Joseph, & tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede: sed & beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiā redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

R. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. * Si exurgat adversum me praellum, in hoc ego sperabo, alleluia. **V.** In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si. Gloria. Si.

In tercio Nocturno, Antiphona. Consurgens Joseph accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël; & habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, alleluia.

Psalmi. Domine quis habitabit. Domine in virtute. Domini est terra. ut in **Communio Confessoris non Pontificis.** lxxvij.

V. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, alleluia. **R.** Ut non derelinquat me in die tribulationis, alleluia.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. 3.

In illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est caelum. Et reliqua. Homilia Sancti Augustini Episcopi. *Lib. 2. de Contra Evang. c. 1. & 3.*

Manifestum est illud, quod ait: Ut putabatur, filius Joseph: propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios progenitores Matthaeus enumerat descendens à David usque ad Joseph; alios autem Lucas ascendens à Joseph usque ad David. Facile est, ut advertant, duos patres habere potuisse Joseph, unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi gemissent. Unde intelligitur, Lucas patrem Joseph, non à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

R. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium: * Et vocabis nomen ejus Jesum, alleluia. **V.** Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

Bbbb 2

Lec-

Lectio viii.

Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, & Matthæo scilicet, & Luca, ut unus eorum eius patris originem teneret, qui genuerat, aliter ejus, qui adoptaverat Joseph, quem probabilius intelligimus, adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat. Matthæus autem dicens: Abraham genuit Isaac. Isaac genuit Jacob: atque ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph: satis expressit, ad eum patrem se perduxisse originem generantium, à quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquam si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare debèret, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurdè quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At verò etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura atque substantia sua non nos genuit, sicut unicuique Filium: sed utique dilectione adoptavit.

R. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. * Et esto tibi usque dum dicam tibi, alleluia. **V.** Ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dominica centies.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est

Jesus, qui vocatur Christus, alleluia. Psalmus. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica. 14. Antiphona. Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilæe, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, alleluia. Antiphona. Ascendit autem Joseph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, que vocatur Bethlehem, alleluia. Antiphona. Et venerunt festinantes, & invenerunt, Mariam, & Joseph, & infantem positum in præsepio, alleluia, alleluia. Antiphona. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, alleluia.

Capitulum. Genes. 49. d.

Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazareth inter fratres suos.

Hymnus.

Celitus Joseph decus, atque nostre
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum sratuit pudicæ
Virginis sponsum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit & ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras

Rex Deus regum, dominator orbis,
Cujus ad natum tremis inferorum
Turba, cui pronus famulatur
Æther,

Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Que tibi præbens superos honores:
Det tuis nobis meritis beate

Gau-

Gaudia vitæ. Amen.

V. Dediti mihi protectionem salutis tue, alleluia. **R.** Et dextera tua suscepit me, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, alleluia.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentiâ beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta quasumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Qui vivis & regnas, &c.

Et sic Commemoratio Dominica.

Ad Tertiam, Antiphona. Missus est. Capitulum. Benedictiones patris tui, ut supra.

R. breve. Constituit eum dominum domus suæ, alleluia, alleluia. Constituit eum. **V.** Et principem omnis possessionis suæ. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Constituit. **V.** Confitebor nomini tuo, alleluia. **R.** Quoniam adjutor, & protector factus es mihi, alleluia.

Ad Sextam, Antiphona.

Ascendit autem.

Capitulum. Gen. 49. c
Deus patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper.

R. breve. Confitebor nomini tuo, alleluia, alleluia. Confitebor. **V.** Quoniam adjutor, & protector factus es mihi. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Confitebor. **V.** Justus germinabit sicut lilium, alleluia. **R.** Et florebit in æternum ante Dominum, alleluia.

Ad Nonam, Antiphona.

Et ipse Jesus.

Capitulum. Gen. 49. c

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectus

filiae discurrerunt super murum.

R. breve. Justus germinabit sicut lilium, alleluia, alleluia. Justus germinabit. **V.** Et florebit in æternum ante Dominum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Justus. **V.** Plantatus in domo Domini, alleluia. **R.** In atribus domus Dei nostri, alleluia.

In secunda Vesperis, omnia ut in primis, exceptis sequentibus.

V. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, alleluia. **R.** Et fructus ejus dulcis gutturi meo, alleluia. Ad Magnificat, Antiphona.

Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, alleluia.

Oratio. Deus, qui, ut supra.

Et sic Commemoratio Dominica.

FESTA MAIL

DIE V. MAIL

In Festo Conversionis S. Augustini Episcopi, Confessoris & Ecclesie Doctoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lix. præter ea que sequuntur.

In Hymno ad Vesperas & Matutin.

Hac die lætus colitur renatus

Flumine sacro.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exultemus in Deo salutari nostro, quia respexit ad preces, & lacrymas ancille suæ Mônica super desiderium ejus: Ecce Augustinus omnipotentis brachio ad veritatem conversus est, & magnus Ecclesie Doctor evasit, alleluia.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis mirabili conversione decorasti: præsta quasumus; ut sicut Ecclesiam tuam propulsis erroribus prætegim, ita cor-

Bbbb 3

da

da nostra precibus suis contra malignos spiritus tua gratia irrigante defendat. Per Dñm nostrum, &c.

Deinde fit Commemoratio Sanctae Monicae Viduae.

In primo Nocturno.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j.

Cap. 7. c.

Sciamus enim, quia lex spirituum salis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intēligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: consēntio legi, quoniam bona est. Scio enim quia non habitabit in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitabit in me, peccatum. Invenio igitur legem, volentis mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.

R. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium domini tui, alleluia. **V.** Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratu sum. Intra in gaudium.

Lectio ij.

Condelēctor enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum

Dñm nostrum. Igitur ego ipse mente servo legi Dei: carne autem, legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est illi, qui sunt in Christo Jesu: qui non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt: quae carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt: quae sunt spiritus, sentiunt. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

R. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: Ideo jurejurando fecit illum Dñm crescere in plebem suam, alleluia. **V.** Benedictionem omnium Gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. Ideo jurejurando.

Lectio iij.

Cap. 13.

Et hoc sciētes tempus: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitis, non in contentione, & aemulatione: sed induimini Dñm Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideris.

R. Juravit Dñm, & non penitebit eum: * Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, alleluia. **V.** Dixit Dñm Dñmo meo, Sede a dextris meis. Tu es. Gloria Patri. Tu es.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Augustinus undevigesimum annum agens, spretā, ut ipse ait, Religionē, quae sibi puero a parentibus insita erat, ad Manichaeos defecit, iisdemque novem annos ad-

hæ-

hæsit. Sed & Carthagine, ubi Rhetoricam profitebatur, illicitis amoribus irretitus est, ac Genethliacorum deliramenta aliquamdiu secutus, Auditorum Carthaginiensium immodestia offensus, auditu Romae adolescentes sedatius litteris operam dare, matre decēptā, consēnsō clam navigio, illuc contēdit; ubi corruptus aegritudine in vitæ discrimen incidit. Sed pia matris precibus servatus est, ejus discēssum, errorēque inconsolabiliter desēntis Confirmatā valetudine, eloquentiā scholam aperuit, ac ferme per annum Romae docuit. Postea à Symmacho Urbis praefecto, Rhetoricam ipsam publice professurus, missus est Mediolanum, ubi Sanctum Ambrōstium disputantem in populo studiōse audiens; persēctā Manētis insanā, nondum tamen recte sentiens, Academicorum more de omnibus dubitans, atque inter omnia fluctuans, Manichaeos relinquere decrevit; ac tandem esse Cathecūmenus, donec aliqui sibi certi elucēret, quo cursum intēderet.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocēbit ei. Manus enim.

Lectio v.

Cum autem Ambrōsii conciones frequentaret, & sacras litteras, praesertim divum Paulum avidissime legeret, ad Catholicam fidem serio animum adjecit: quem valde jam incensum, magis impulsi Sancti Simpliciani, cui aetas animi sui contulerat, gravis exhortatio. Nam iis Marii Victorini, celeberris quondam in Urbe Rhetoris, ei exemplum proposuit; quem in senecta, mirante Romā, gaudente

Ecclēsiā, Christo nomen dedisse memorabat. Suscēptum consilium morabantur desiderium conjugii, & saeculi blandimenta. Sed Potitianus narrante de Antōni mirabili sanctimoniam, atque de illius sectatoribus in eremo austeriorem vitam colentibus: abeunte illo, tenere se non pōtuit, quin ad Alipium conversus, exclamaret: Quid est hoc? inquit, surgit indocti, & caelum rapiunt; & nos eum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi voluptatur in carne, & sanguine. Mox adjectum adibus hortulum ingressus, sub ficu stratus, cum veterum voluptatum memoria animum perterentat, vocem audivit, quasi pueri, vel puellae canentis: Tolle, lege: tolle, lege.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi e lectum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Quod ille divinitus sibi dictum interpretans; concitus surgens, sacrum litterarum codicem in proximo apertis, in ea Apostoli verba incidit: Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitis, non in contentione, & aemulatione: sed induimini Dñm Jesum Christum. Tunc vero, quasi infusa ejus cordi securitatis luce, omnes ab eo habitationis tenebrae discussae sunt. Itaque abjecta omni rerum humanarum curā, non modò baptismum suscipere, sed etiam Deo addictus servire constituit. Igitur abdicato docēndi munere, una cum matre qua ex Africa ad eum venerat, acque amicis suis concedens, sacris praecibus, & jejuniis vacans, monasticae vitae, quam post amplexus

Bbbb 4

est,

est, rudimenta ponere visus est. Sed ubi tempus advenit, quod sacro lavacro nomen dare oportebat, Mediolanum rediit, ipsique Paschilibus diebus, incredibili bonorum letitia una cum filio Adeodato, atque Alipio familiari, multisque aliis, lustratibus lymphis à beato Ambrosio expiatus est, annos natus triginta tres. Tunc vero Ambrosius, ut scribit Sanctus Dacius, ob tanti viri conversionem, Deo gratias acturus, Te Deum laudamus præcinit, Augustino vicissim respondente, Te Dominum confitemur. Atque ita sacer ille hymnus, quo assidue ecclesiastica templa resonant, à viris sanctissimis alternis ad finem usque contextus est.

N. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: **I**psè intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10. d

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 65. in Matth. initium.

Quænam sunt hæc omnia, quæ tu dicis, beatissime Petre, reliquisse? Arundinem, retia, naviculam, universumque piscatorum artificium, hæc tu omnia vocas? Ita, inquit, sed non ambitione, quadam, aut inani gloriæ verum, ut pauperum plebem hæc interrogatiõe introducã; nam

quoniam à Dõmino dictum est: Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in celo. Ne quis pauperem opinetur, non posse ad perfectionem se pervenire, cum non habeat, quæ pauperibus offerat, querit Petrus, ut tu discas nihil te minus propter inopiam habiturum. **N.** Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, **V.** Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorcam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vij.

Querit, inquam, Petrus, ne si id à se periperes, præsertim cum adhuc spiritus gratia non abundaret, ambiguitate perplexus jaceres, sed ut ab ipso ejus magistro prolata sententia firmâ spe roboreris, Nam quemadmodum etiam nos pro aliis disputamus, sic Apóstolus quoque ad universi orbis commodum non dubitavit interrogare. A superioribus enim patet, nihil de se ipso ambiguisse. Qui enim ipsorum celorum claves suscepit, quantum magis de cæteris, quæ in celo sunt, consideret.

N. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus. **V.** Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. **V.** Jucunditatem, & exultationem thesaurizavit super eum. Et implevit. Gloria Patri. Et implevit.

Lectio ix.

TU autem illud diligenter expende, quam exquisitè duo illa, quæ Christus à divite petiit, ut scilicet pauperibus substantiam distribueret suam, & Christum sequeretur, breviter complexus est, dicens: Relinquimus omnia, & secuti sumus te. Ambo enim hæc facta jam erant; nam sua reliquerunt, ut ipsum sequerentur, & eo, quod

quod omnia reliquerunt, sequi facillius potuerunt: & quoniam reliquerunt, confidere atque gaudere ipsos admonèbat. Quid igitur Christus respondit? Amen dico vobis, quia vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

Te Deum laudamus, 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Per viscera misericordiæ suæ visitavit Dominus Augustinum, ut qui prius sedebat in tenebris & umbra mortis, postea illuminaret orbem, alleluia.

Oratio. Deus, qui hodiernam diem, ut supra. 104.

Ad Magnificat, in ij. Vesperis, Aña.

Fecit Dominus in Conversione Augustini populo suo ingentem letitiam, hostibus superbè terrorem, & cunctis fidelibus tutamen, recordatus misericordiæ suæ, alleluia.

Oratio. Deus, qui hodiernam diem, ut supra. 104.

DIE XI. MAI.

Fir de S. Pio Papa & Confessore.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano s. hujus.

In secundis Vesperis fit Commemor. seq.

DIE XII. MAI.

In Festo S. Dominici Calceatensis Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, lxxij. præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio.

Clementissime Deus, qui beatum Dominicum Confessorem tuum egregius virtutibus illustrare dignatus es: concede quesumus, ut cujus (hodie) natalitia celebramus, ejus intercessiõe à peccatorum nos-

trorum nexibus liberari, & illius consortio in caelis perfrui mereamur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Dominicus Calceatensis Villoriz in finibus Cantabriæ illustri genere natus, qualis adultæ futurus esset ætate, in juvenilibus annis plurimâ virtute, & pietate monstravit. Itaque ante annum ætatis vigésimum divino succensus ardore, mundana cuncta contemnens, Deo adherere, ejusque firmiter obedire mandatis, secum studiosè constituit. Id verò sub regulari disciplina se facillis consecutorum existimas, primùm ad Abbatem Vallis Venariæ Ordinis Sancti Benedicti, deinde ad Monasterium Sancti Amiliani ejusdem Instituti, supplex accessit, ut in Monachorum consortio admitteretur. Passus tamen utroque loco repulsum, Deo illum ad majora disponente, in oratione assidua, variisque corporis cruciatibus per quinquennium vitam duxit eremiticam in deserto Bureba, constructo humili tugurio, & Deipare Virginis sacello, & a seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam, alleluia. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Auditâ porro famâ sanctissimi viri Gregorii Cardinalis Episcopi Ostiensis, Sedis Apostolicæ Legati, qui suis apud Deum precibus, & salutaribus ad populum monitis, universam Cantabriæ, & Navarræ regionem à multis liberavit ærumnis, ad eum Lucróni herentem accessit,

Lectio v.

sub ejus disciplina mirum in modum profecit, nunquam ab eo passus divelli, donec vir sanctus e vis excessit. Tanto destitutus magistro, denuo ad vitam regressus eremiticam, eo constitit loco, quo nunc requiescit, haud procul a via regia, qua iter ad Sancti Jacobi Compostellanam peregrinationem densis sylvis, & latronum incursibus periculolum, paludibus, & cœnosis anfractibus nimis molèstum, transversè fluminis alluvione frequenter impervium.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. **V.** Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vi.

Compassus itaque vir sanctus tot tantisque peregrinorum incommodis, Deo multis modis mirabiliter propitiante, sylvam, nemora, lucos succedit, viam regiam longè latèque stravit, fluminis impetus, nòbili superinducto ponte, qui etiam nunc cernitur, superavit: domum amplam peregrinis & egenis excipiendis ædificavit, & Christo Salvatori Templum, quod postea confluentibus vicinis populis, urbemque à sancti viri nòmine nuncupatam, construentibus, Cathedrâ insignitam est Episcopali. Multis demum virtutibus, & miraculis illustris, superatis annis nonaginta, obdormivit in Domino, anno millesimo centesimo nono, conditus in tumulo, quem ipse ante annos septem sibi preparavit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrèdere in requiem meam: **V.** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia reg-

na. Quia te, Glòria Patri, Quia te. In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Sint Iumbi vestri, ut in Communi Conf. non Pontif. lxxviii. Vesperæ de sequenti, cum Commemor. S. Dominici Confessoris.

DIE XIII. MAIL.

In Festo Sancti Secundi Episcopi & Martyris.

Duplex.

Omnia dicuntur de Comm. unius Mart. Pont. temp. Paschali. xxxyj. præter hæc, quæ habentur propria. Oratio.

Infirmiorem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Secundi Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos præteget. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde fit Comm. præcedentis.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Secundus, Torquatus, Ctesiphoni, Indalecius, Cæcilius, Hesychius, & Euphrasius integerrimæ vitæ Socii ab Apostolis Petro & Paulo creati Episcopi, ad prædicandum Christi Evangelium in Hispaniam mittuntur. Qui prosperam (favente Deo) navigationem tententes, Accin Bœticæ Turdetanæ urbem, Guadix nunc vulgò nominatam, appulerunt: cumque ipsorum aliqui fessi ex itinere prope urbis mœnia quiescerent, alii urbem ad emendum cibum ingressi sunt. Sed eos multitudo infidelium, qui festum diem suorum deorum agebant, extra urbem eiecit, factoque impetu ad fluvium usque persecta est. In fluvio pons erat miræ magnitudinis, & firmitatis, qui tunc

Dei

Dei nutu cum infidelium multitudine, a qua occupatus est, corruit. **R.** Lux perpétua lucèbit Sanctis tuis Domine. **V.** Et æternitas temporum, alleluia, alleluia. **V.** Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Et æternitas.

Lectio v.

Quo miraculo cæteri perterriti, respuentes idola in Christum crediderunt, imitati Lupariam quandam senatricem magnæ auctoritatis mulierem, quæ divino instinctu Sanctos Dei benigne cepit, & in Christum credidit, & ædiculam extruxit, quam Salvatori dedicavit. Post quæ Torquatus Accis Præfecto, reliqui diversis ejus Provincia civitatibus evangelizarunt: in quibus Secundus, qui Abulam civitatem docendam suscepit, multos vite exemplo, & prædicatione per Evangelium Deo genuit. Tandem post multos pro Christo toleratos labores moriens suo sanguine Abulensem Ecclesiam Deo vero consecravit.

R. In servis suis, alleluia. **V.** Consolabitur Deus, alleluia. **V.** Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis, Consolabitur.

Lectio vi.

Cum verò ejus corpus omnibus ignotum diu jacuisset, anno millesimo quingentesimo decimo nono divinitus inventum est. Nam cementarii dum labentem templi parietem demolirentur, sub ejus fundamento lapideam arcam invenerunt inscriptam his verbis: Invenit Secundus; è qua tanta odorum suavitas emanabat, ut templum, & vicina loca perfunderet. Contigit quoque in sancti corporis testimonium, ut unus ex cementariis, hernia morbo insanabili laborans, ad aspectum sancti cor-

poris convalesceret. Quarum rerum percrescente fama innumeri homines ad visendum Sancti Secundi corpus venerunt, ac plerique varis morbis laborantes, Sancti Secundi meritis sanati sunt. Hujus Sancti Episcopi, & Martyris reliquæ multis illustrate miraculis, in antiquissimo templo, quod in Abulæ suburbio extractum est, per longa tempora asservatæ sunt. Hinc in primarium urbis templum translatae sunt, & in sacello ipsi Sancto dicato reconditæ, ubi frequentè, & incredibili totius populi devotione coluntur.

R. Filiz Jerusalem, venite & videte martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, & in die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. **V.** Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die solemnitatis. Glòria Patri. In die solemnitatis.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Augustini Episcopi in Evangelium Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est, de Comm. Martyrum tempore Paschali primo loco. xliv.

In secundis Vesperis fit Commemoratio Sancti Bonificii Martyris, ut in Brev. Rom. **V.** in Laudibus. Lætitia sempiterna.

Oratio. Da quesumus, ibid.

DIE XIV. MAIL.

Fit de SS. Nereo, Achilleo, & Domitilla Virgine, atque Pancratio Martyribus. Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Rom. die xij. hujus ix. Lectio ex duabus una, & Commem. S. Bonificii in Laudibus, ut in j. Vesperis de Comm. Vesperæ de sequent. cum Comm. præc.

DIE

DIE XV. MAIL.

In Festa Sancti Isidori Agricola
Confessoris, Matriti Patroni.

Duplex.

Si hoc Festum venerit in Domini-
nica quarta vel v. post Pascha, aut
in Dominica infra Octavam Ascen-
sionis, fit de Sancto Isidoro, cum
nona Lectione de Homilia, & Com-
memoratione in utrisque Vesperis
& Laudibus.

Si occurrat in Feria ij. Rogatio-
num, aut in Vigilia Ascensionis,
fit nona Lectio de Homilia, & Com-
memoratio in Laudibus de ea.

Si occurrat in die Ascensionis,
aut in ejus die Octava, aut a Vigi-
lia Pentecostes usque ad Dominicam
SS. Trinitatis, transferatur in pri-
mam diem non impeditam Festo
duplici, vel semiduplici, secundum
ordinem Rubricæ xi. de translatione
Festorum.

Si occurrat infra Octavam As-
censionis, fit de Sancto Isidoro, cum
Commemoratione Octavae.

Omnia dicuntur de Communi
Confessoris non Pontificis. Ixij.
præter ea, quæ hic sequuntur.

Capitulum. *Jacobi s. b.*

Ecce agricola expectat pretio-
sum fructum terræ, patienter
ferens donec accipiat temporaneum,
& serotinum. Patientes igitur est-
ote & vos, & confirmate corda
vestra: quoniam adventus Domini
appropinquavit.

Hymnus.

Iste Confessor Domini, colentes
Quem pie laudant populi per
orbem,
Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.
Qui pius, prudens, humilis, pud-
icus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit aures

Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum fræ-
quenter;

Ægra quæ passim jacuere mem-
bra,

Viribus morbi dõmitis, salutî
Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequen-
tem

Cõcinit laudem, celebresque
palmas;

Ut piis ejus præcibus juvemur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sôlio coruscans

Tõtius mundi seriem gubernat
Trinus, & unus.

Amen.

V. Amavit eum Dominus, & or-
navit eum, alleluia. *R.* Stolam glõ-
riæ induit eum, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Labores manuum suarum quia
manducavit, esurientem implevit
bonis Dominus Deus noster, alle-
luia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus misè-
ricors Deus, beato Isidoro
Agricola Confessore tuo interceden-
te, supèrbe non sapere; sed ejus
meritis & exemplis placitè tibi sem-
per humilitate deservire. Per Domi-
num nostrum, &c.

In primo Nocturno.

De Epistola beati Jacobi Apostoll.
Cap. s. b.

Patientes igitur estote fratres
usque ad adventum Domini.
Ecce agricola expectat pretiosum
fructum terræ, patienter ferens do-
nec accipiat temporaneum, & sero-
tinum. Patientes igitur estote & vos,
& confirmate corda vestra; quoniam
adventus Domini appropinquavit.
Nolite ingemiscere fratres in alteru-
trum, ut non judicemini. Ecce ju-
dex ante januam assistit. Exemplum

ac-

accipite fratres exitus mali, la-
boris, & patientiæ. Prophætas: qui
locuti sunt in nomine Domini.

R. Euge serve bone & fidèlis, quia
in pauca fuisti fidèlis, supra multa
te constituam: *•* Intra in gaudium
Domini tui, alleluia. *V.* Domine
quinque talenta tradidisti mihi:
ecce alia quinque superlucratu
sum. Intra in gaudium.

Lectio ij.

Ecce beatificamus eos, qui sus-
tinuerunt. Sufferentiam Job
audistis, & finem Domini vidistis,
quoniam misericors Dominus est, &
miserator. Ante omnia autem fratres
mei nolite jurare, neque per cœlum,
neque per terram, neque aliud
quodcumque juramentum. Sit autem
sermo vester: Est, est: Non, non:
ut non sub iudicio decidatis. Tris-
tatur aliquis vestrum? oret: *•* Equo
ânimo est? psallat. Infirmatur quis
in vobis? inducat Presbyteros Ec-
clesiæ, & orent super eum, ungen-
tens eum oleo in nomine Domini:
& oratio fidei salvabit infirmum, &
alleviabit eum Dominus, & si in pec-
catis sit, remittentur ei.

R. Justus germinabit sicut lili-
um: *•* Et florabit in æternum ante Do-
minum, alleluia. *V.* Plantatus in
domo Domini, in atris domus Dei
nostræ. Et florabit.

Lectio iij.

Confitemini ergo alterutrum
peccata vestra, & orate pro
invicem, ut salvemini: multum
enim valet deprecatio justi assidu-
um. Elias homo erat similis nobis passi-
bilis: & oratione oravit ut non plue-
ret super terram, & non pluit an-
nos tres, & menses sex. Et rursum
oravit: & cœlum dedit pluviam,
& terra dedit fructum suum.

R. Iste cognovit justitiam, & vidit

mirabilia magna, & exoravit Al-
tissimum: *•* Et inventus est in nũ-
mero Sanctorum, alleluia. *V.* Iste
est qui contempsit vitam mundi, &
pervenit ad cœlestia regna. Et in-
ventus. Glõria Patri. Et inventus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Isidorus Agricola propè Matr-
itum Hispaniæ urbem, in qua
natus fuerat, mercède colendis agris
conductus, brevi magnarum sibi
virtutum eo in exercitio uberrimam
segetem paravit. Admirabili-
lis enim Christi ac Sanctorum imi-
tator, numquam ad opus manè se
conferèbat, nisi prius Dei regnum
studiosè quæreret, Ecclesiæque in
ipso ac Deipare honorem dicatas
visitaret. Quare cum illius moram
agri dominus graviter ferret, at-
que ex editiore loco quadam die,
ut eum liberius increparet, Agrico-
lam opperiretur; binos Angelos
candida veste, duplice boum jugo
arantes, mediũque inter illos Isi-
dorum conspexit. Quo miraculo
vulgato, magno deinceps in honõ-
re tam apud herum, quam apud
ceteros homines haberi cepit.

R. Honestum fecit illum Dominus,
& custodivit eum ab inimicis, & à
seductoribus tutavit illum: *•* Et de-
dit illi claritatem æternam, alleluia.
V. Justum deduxit Dominus per
vias rectas, & ostendit illi regnum
Dei. Et dedit.

Lectio v.

Charitate in pauperes adest fla-
gravit, ut mercèdem, quam
laboribus parabat, egentibus ero-
garet. Quin etiam cum aliquando
ad commu- nem reliquis confratri-
bus prædium plurimos pauperes ad-
duxisset, nihilque aliud, prandio sel-
licet finito, quam pulmentis partem
sibi reservatam reperisset; illam vir

Dei,

Dei, fide singulari fretus, ita distribuit, ut mirabiliter aucta, iis omnibus alendis, saturandisque sufficeret. Illud etiam inter cetera mirandum, quod per aestivos calores, ad extinguendam in agro sitim, aquae potum hero flagitante, cum nullibi scateret, Isidorus stimulo, quem gererat, humo percussa, uberem ex ea & perennem ad haec usque tempora fontem elicit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vj.

Igitur sanctitate clarus, cum ad ultimam senectutem pervenisset, obdormivit in Domino: & in coemeterio Sancti Andree sepultus, tandem ibi iacuit, quoad civitas de ipsius corpore honestis in Ecclesia collocando divinitus moniti, illud in loco integrum atque aedem incorruptum invenerunt, ut ex eo suavissimus odor, qui hac etiam tempestate perdurat, efflaret. Sanctum corpus in Ecclesiam translatum, & in editiore loco situm, maximis Deus miraculis illustravit. Quorum beneficentiam non semel tam ipsa Matriti civitas, quam etiam cetera Hispaniae loca ope ipsius implorata, persenserunt. Quem postremum post annos fere quadringentos fama sanctitatis ac miraculis illustrem Gregorius Decimus Quintus in Sanctorum numerum retulit. **R.** Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Quia te Gloria Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15.
In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et reliqua. Homilia Sancti Gregorii Papae. Lib. 7. Reg. Epist. 32.

Per semetipsam Veritas dicit: Pater meus agricola est: & omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum; omnem vero qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmes enim infructuosos tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes vero fructuosos purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarium pala tribulis attrita, aristas & paleas mundantur: sic olivae prelo pressae in olei pinguedinem defluunt sic botri vinearum pressi calcibus in vinum liquescunt.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Ex eodem Tractatu in septem Psalmos Penitentiales ad 6. Psalmum.

Lectio viij.

Qui manet in verbo, non fraudatur a regno. Aliter namque fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus. Ideoque ait: Manete in me, & ego in vobis. Ubi enim manendum nisi in ipso? Deficient domus, palatia corruent, destruentur civitates, ab imis sedibus turres eyellentur: Verbum autem Domini manet in aeternum.

Ma-

Maneamus ergo in eo, qui manet in aeternum.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, alleluia. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis quae hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Non sequamur vanitatem, deserentes veritatem: nec contristemur sicut ceteri, qui spem non habent, sed sustineamus eum. Et si moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis quod per Prophetam dicitur: Vae his qui perdidissent sustententiam. Quicumque mundanae adversitatis fractus moléstis, diabolicae tentationis infestatione dejectus, a spe caelestium promissionum deciderit, sustententiae quam prius habuerat, mercèdem amittet: qui vero sustinet, magnam reportabit remuneracionem.

Te Deum laudamus. 13.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum, alleluia. **Psalm.** Dominus regnavit, cum reliq. 14. **Añs.** Euge serve bone in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui, alleluia. **Añs.** Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, alleluia. **Añs.** Beatus ille servus, quem cum venerit dominus eius, & pulsaverit januam, invenerit vigilantem, alleluia. **Añs.** Serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, alleluia.

Capitulum.

Jacobi 5. b

Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum,

& serotinum. Patientes igitur esto: & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquit.

Hymnus.

Jesu corona caelstor,
Et veritas sublimior,
Qui confiteri servulo,
Reddis perenne praemium:
Da supplicanti coetu,
Hujus rogatu, noxi
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.

Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.

Hic vana terrae gaudia,
Et huculenta praedia,
Polluta sorde deputans,
Ovans tenet caelestia.

Te Christe Rex pissime
Hic confitendo jugiter,
Calcavit artes daemonum,
Sævumque averni principem.

Virtute clarus, & fide,
Confessione sedulus,
Jesuna membra deferens,
Dapes supernas obtinet.

Proinde te pissime,
Precamur omnes supplices,
Nobis ut hujus gratia
Penas remittas debitas.

Patri perennis gloria,
Natoque Patris Unico,
Sanctoque sit Paraclyto
Per omne semper saeculum. Amen.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, alleluia. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Exiit qui seminat seminare semen suum, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum, alleluia. **Oratio.**
DA nobis, quaesumus misericors Deus, beato Isidoro Agricola Confessore tuo intercedente super-

be

bè non sàpere; sed ejus mèritis & exèmpis, plàcità tibi semper humilitate deservire. Per Dòminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Euge serve bone. **Capitulum.** Ecce agricola, ut supra, 10r.

R. breve. Amàvit eum Dòminus, & ornàvit eum, Allelùia, allelùia. Amàvit. **V.** Stolum glòriæ induit eum. Allelùia, allelùia. Glòria Patri. Amàvit. **V.** Os justì meditabitur sapiéntiam, allelùia. **R.** Et lingua ejus loquètur judicium, allelùia.

Ad Sextam, Antiphona. Fidèlis servus.

Capitulum. *Jacobi 5. c*
Ecce beatificamùs eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & finem Dòmini vidistis, quoniam misericors Dòminus est, & miserator.

R. breve. Os justì meditabitur sapiéntiam, Allelùia, allelùia. Os justì. **V.** Et lingua ejus loquètur judicium. Allelùia, allelùia. Glòria Patri. Os justì. **V.** Lex Dei ejus in corde ipsius, allelùia. **R.** Et non supplantabuntur gressus ejus, allelùia.

Ad Nonam, Antiphona. Serve bone.

Capitulum. *Jacobi 5. d*
Ultum enim valet deprecatio justì assidua. Elias homo erat similitè nobis passibilis: & oratione oràvit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oràvit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.

R. breve. Lex Dei ejus, in corde ipsius, Allelùia, allelùia. Lex Dei. Et non supplantabuntur gressus ejus. Allelùia, allelùia. Glòria Patri. Lex Dei. **V.** Justum deduxit Dòminus per vias rectas, allelùia. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, allelùia.

In secundis Vesperis omnia ut in primis, 10r. **V.** Justum deduxit Dòminus per vias rectas, allelùia. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, allelùia.

Ad Magnificat, Antiphona. Ecce homo agricola iste fuit, quoniam Adam exèmplum ejus, ad adulescèntia sua ad serviendum Deo viventi, allelùia. **Oratio.** Da, nobis, quæsumus, ut supra.

DIE XVI. MAII.

In Festo S. Joannis Nepomuceni Martyris. Duplex.
Omnia de Communi Martyrum, xxxvj. tempore Paschali.

Oratio.
Deus, qui ob invictum beati Joannis Sacramentale silentium novam Ecclesiam tuam martyrii coronam decorasti: da nobis ejus intercessione, & exèmplo linguam cautè custodire; ac omnia pòtius mala, quam animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dòminum nostrum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joannes Nepomci Bohemæ oppido, undè Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus atate provectis, non sine futuræ sanctitatis præsiagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucensibus, ortus est. Cùm infans in gravem morbum incidisset, beatæ Virginis ope, cui natum parentes referèbant acceptum, è vite periculo evasit incolumis. Egrègia indole, piaque institutione cœlestibus indicibus obsequente, inter sanctas religiosasque exercitationes pueritiam egit: nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii politioribus literis ad-

hu-

humanitatem informatus, Praga verò graviorebus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, sacrorumque Canonum magisterium, & lauream emeruit. Sacerdotio initiatus, atque à scientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, ministerium verbi Dei se penitus addixit. Cùm igitur in vitis extirpandis, & revocandis in viam salutis errantibus eloquentiâ, & pietate uberes ederet fructus, inter canonicos Metropolitane Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram rege Wenceslao Quarto prædicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suavis multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates, Dei servus, ne à divini verbi præconio avocaretur, constantissime recusavit.

R. Lux perpétua lucèbit Sanctis tuis Dòmine, * Et æternitas temporum, allelùia, allelùia. **V.** Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Et æternitas.

Lectio v.

Regis illum eleemosynis in pauperes erogandis præfectum Joana Regina conscientie sibi moderatorem adscivit. Cùm autem Wenceslaus ab officio, in institutione decessisset, atque in vicia præceps abriperetur; pia autem conjugi obstationes, & munita gravitate ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali iudicio Sacerdoti credita Reginae arcana sibi à Joanne panderentur. At Dei minister blanditiis primùm, tormentis deinde, & carceris squalore tentatus, nefarie regis cupiditati fortiter obstavit. Furèntem tamen Wenceslaiminum eum ab execrando proposito nec humana nec divina jura de-

Pars Hyemalis.

terrènt, supremum agnèem, quem instare sibi athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam regni calamitatibus admonito, non obscure prænuñciavit. Mox Boleslaviam profectus, ad beatæ Virginis imaginem antiquo cultu cèlebrem, cœlestè præsidium ad certandum bonum certamen effusus præcibus imploravit. Inde vespere revertentem in pervigilio Dominicæ Ascensionis Rex è fenestra conspicuus accessit; cùmque vehementius urgeret, & proximam in aquis, si oblectari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantià terrères, minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavia flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem martyrii coronam est consecutus.

R. In servis suis, allelùia, * Consolabitur Deus, allelùia. **V.** Judicabit Dòminus populum suum, & in servis suis. Consolabitur.

Lectio vi.

Sacrilegum facinus clam patratum, & Martyrii gloriàm insignè prodigium divinitus patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi coepit, ardentes faces aquis vernatantes & discurrentes apparuerunt. Quomobrem ex arcina postridè manè corpus elatum, Canonici deinde Regis iram nihil timèntes in Metropolitànâ Ecclesiam solèmpni pompa intulerunt, & sepulture mandarunt. Cùm autem miles invicti sacerdotis memoria miraculis, & maxima fideliorum, eorum præcipue, qui famâ periclitantur, veneratione cresceret, post annos demum amplius trecentis, in juridica recognitione corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta, & vivida reperta est; quæ sexto post anno iudicibus a Sede

Cccc

Apos-

Apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, & subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque, aliisque signis rite probatis, Benedictus Decimus Tertius Pontifex Maximus die decima nona mensis Martii anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono primum hunc Sacramentalis sigilli assertorem, arcani fidem sanguinem obsignantem, Sanctorum Martyrum catalogo adscripsit.

R. Filie Jerusalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus. * In die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. **V.** Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die solemnitatis, Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Hilarii Episcopi in Evangelium Nihil est operum, ut in Comuni unius Martyris. xxxv.

DIE XVII. MAII.

In Festo S. Paschalis Confessoris, Duplex.

Omnia de Comuni Confes. non Pontificis præter sequentia.

Oratio.

DEus qui beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica erga Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti: concede propitius; ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percipit pinguedinem, eandem & nos percipere mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectione iv.

Paschalis Baylon, pauperibus, piisque parentibus in oppido Turris Formosæ Seguntinæ Diocesis in Aragonia natus, à teneris

annis plura dedit futuræ sanctitatis indicia. Sortitus animam bonam, ac rerum cœlestium apprime studiosam, pueritiam atque adolescentiam in gregis custodia transiit: quam ille vivendi rationem ideò præcipue diligebat, quod humilitati fovendæ, ac innocentie conservandæ in primis utilem, atque opportunam judicaret. Erat in victu modicus, in oratione assiduus, tantaque apud coævos & socios florèbat auctoritate & gratia, ut eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, ac desidiam excitans, velut omnium parens & magister maximo studio coleretur, ac amaretur: Beatus etiam tunc à plerisque appellatus.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductōribus tutavit illum. * Et dedit illi claritatem æternam, alleluia. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectione v.

Qui verò in saculo, terræ nempe deserta & inaquosa, adeò feliciter adoleverat, flos convallium plantatus in domo Domini, mirum ubique sparsit sanctitatis odorem. Igitur Paschalis arrepto vitæ severioris instituto, atque in Ordine Minorum Strictioris Observantia Discalceatorum cooptatus, exultavit ut gigas ad currendam viam suam: totumque se Domino excolendum tradens, dies noctesque cogitabat, qua se ratione magis ei, magisque conformaret. Ita factum est brevi, ut eum tamquam Seraphicæ perfectionis exemplar ipsi quoque provectiores imitandum sibi proponerent. Ipse autem in humili servitium gradu constitutus, se velut omnium perpessum

ma

ma reputans, ardua quæque & abjecta domus ministeria, veluti jure quodam peculiari sibi debita, summa cum hilaritate suscipiebat, & exercebat humilitate, ac patientia pari. Carnem spiritui quandoque reluctari nitentem jugi maceratione afflictauit, atque in servitium redegit; spiritum verò assidua sui abnegatione ferventem in dies ad anteriora extendebat.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **V.** Induit eum Dominus lorcam fidei, & ornavit eum. Et.

Lectione vi.

Deiparam Virginem, cujus clientela se ab ineunte ætate dicaverat, tamquam matrem quotidianis colebat obsequiis, atque filiali exorabat fiducia. Porro erga sanctissimum Eucharisticæ Sacramentum, difficile dictum est, quam ardentius teneretur devotionis affectu: quem defunctus etiam in cadavere retinere visus est, dum jacens in fœtore, ad sacræ hostiæ elevationem bis oculos reseravit & clausit, magna omnium, qui aderant, admiratione. Eiusdem veritatem inter hæreticos publicè palamque professus, multa & gravia ob eam causam perpessus est: crebro etiam ad necem petitus, sed singulari Dei providentia impiorum manibus ereptus. Sæpe inter orandum omnibus destituebatur sensibus, dulcique languebat amoris deliquo: quo tempore cœlestem illam scientiam hausisse creditus est, qua homo rudis & illiteratus de mysteriis fidei difficillimis respondere, atque aliquot etiam libros conscribere potuit. Denique meritis plenus, eandem qua prædixerat horâ, feliciter migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo no-

nagesimo secundo, sexto decimo Kalendas Junii, eodem quo natus fuerat, festo Pentecostes recurrente, annum agens secundum supra quinquagesimum. Quibus, aliisque virtutibus insignem, ac miraculis tam in vita, quam post mortem clarum, Paulus Quintus Pontifex Maximus illum beatum appellavit: Alexander autem Octavus Sanctorum catalogo adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia, Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectione sancti Evangelii secundum Mathæum.

Lectione vii.

Cap. II.

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Patre, Domine cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus, & prulentiibus, & revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Exposit. moral. in Job lib. 34. cap. 17.

§ seq.

Audiant simul omnes: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Audiant omnes: Immundus est apud Deum omnis, qui exaltat cor suum. Audiant omnes: Quid superbis terra & cielis? Contra hujus languoris pestem audiamus cuncti, quid magistra veritas docet, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam infortitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus

Cccc 2

ap

apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viij.

Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is, qui sine estimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditionis nostrae superbia praebevit diaboli, instrumentum redemptionis nostrae inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leviathan iste rex dicitur superbiorum, aperte cognoscimus, quod evidentissimum reprobiorum signum superbia est, at contra humilitas electorum.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, alleluia. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Cum ergo quam quisque habeat, cognoscitur: sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim

quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cuius serviat potestate rectoris. Unde & per Evangelium dicitur: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ne igitur nos Leviathan istius membra vel mira faciendum fallerent, aperit signum Dominus, quo deprehendi valeant, demonstravit, dicens: Ipse est rex super universos filios superbiae. Qui & aliquando factam speciem humilitatis assumunt, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt: quia eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui vero sub Rege humilitatis militant, semper pavidi, atque ex omni latere circumpecti, adversum jacula elationis pugnant, & quasi contravenientis ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

Te Deum laudamus. 13.

DIE XXI. MAIL.

In Festo S. Torquati Episcopi & Martyris. Duplex.

Omnia de Communi Marty. temp. Pasch. xxxvj. praeter illa, quae hic assignantur propria.

In primis Vesperis ad Magnificat, Ant. Gaude felix Accitana civitas, quia in te recepisti beatum Torquatium fidem Christi praedicantem, alleluia.

Oratio.

Deus, qui nos per beatum Torquatium Martyrem tuum atque Pontificem, ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrentes.

In

In secundo Nocturno.

Lectio iij.

Quo tempore primam in Christianos persecutionem Nero immanissimus Imperator excitavit, beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, Torquatium, Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Caecilium, Hesygium, & Euphrasium, beati Jacobi Apostoli discipulos, Episcopos Romae ordinarunt, & ad praedicandum Christi Evangelium in Hispaniam miserunt. Cum autem ad eam Provinciam pervenissent prope Accitanam urbem, in viridi campo, ut longitudine itineris lassati aliquantulum quiescerent, consiterunt. Cumque ad civitatem victus emendi causa aliquos viderent, pagani, qui tunc forte deorum suorum festa debacchantes peragebant, visis diversi habitus, ac religionis peregrinis hominibus, in eos furientes prosiliunt: & ad Sanctos pervenientes, omnes pariter in fugam actos, usque ad flumen prosequuntur.

R. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, alleluia, alleluia. **V.** Lectitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Et.

Lectio v.

Sed ut viri Dei pontem pertransierunt, pons, qui mira magnitudinis & firmissimus erat, concidit: & gentilium multitudinem Sanctos persequentem pariter oppressit, ac demersit in aquas. Quo miraculo accolae territi, eos postea invocare, & in honore habere coeperunt. In primis Luparia quadam praecelara mulier benignè suscepit, atque ab his fidem edocta, in oratorio, quod ipsa construxerat, baptizata est. Cuius exemplo quam plurimi in Christum credentes, re-

lictis idolis, baptismi sacramentum susceperunt.

R. In servis suis, alleluia, * Consolabitur Deus, alleluia. **V.** Iudicabit Dominus populum suum, & in servis. Consolabitur.

Lectio vj.

Hujus igitur urbis, quae tunc prima Christi Domini fidem in Hispania recepit, beatus Torquatius Episcopus designatus est: ac caeteris ad alias Hispaniae terras abentibus, ipse Acci remansit: ubi multis pro Christo perfunctus laboribus, demum Martyr occubuit. Eius corpus in eadem urbe (quae nunc Guadix appellatur) primo sepultum est. Juxta cujus sepulchrum olim arbor olivae erat, quae in natali Martyris florebat, simulque fructus uberes emittebat: e quibus oleum expressum ad varios morbos curandos adhibebatur. Inde in Gallaciam translatum, in quadam Cenobio Ordinis Sancti Benedicti, condigno honore asservitur, Sodales Sancti Torquati & ipsi in varii urbibus Episcopi constituti, Christi Evangelium praedicant, & in eis quieverunt: Ctesiphon Vergilius, Secundus Abula, Indaletius Urci, Caecilus Illiberi, Hesygius Carteja, Euphrasius Illiturgi, quorum corpora ad alias postea Hispaniae urbes translata sunt.

R. Filiae Jerusalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * In die solemnitatis & laetitiae, alleluia. **V.** Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die solemnitatis.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium Ego sum vitis vera, in Communi Martyrum tempore Paschali, xlv.

Extra tempus Paschale, Lectio-
nes de Homilia Sancti Gregorii Pa-
pae in Evangelium Si quis venit,
de Communi unius Martyris pri-
mo loco.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dum beatus Torquatus sanctum Je-
su Christi Evangelium Accitānis
praedicaret, nobiles matrona Lupā-
ria nomine, fidem Christi suscepit:
ad cuius exemplum magna
pars civitatis baptizata est, alleluia.

In secundis Vesp. à Cap. de
sequent. Comm. precedentis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatus Antistes Torquatus, in ci-
vitate Accitāna à paganis necatus,
illūstre fidei testimonium Christo
Domino reddidit, alleluia, alleluia.

DIE XXII. MAIL.

In Festo Sancti Indalerii Episcopi
& Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Martyrum
tempore Paschali, xxxvij. præter
ea quae hic sequuntur.

Oratio.

DEus, qui nobis ad primitias
fidei propagandas beatum
Indalerium Martyrem tuum atque
Pontificem tribuere dignatus es: da
quesumus; ut quem festivo vene-
ramur obsequio, ejus interceden-
tibus meritis aeterna gaudia conse-
quamur. Per Dominum nostrum Je-
sum Christum, &c.

In primo Nocturno Lectiones de
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Indalētius, cujus illūstre nomen
vāriis Ecclesiae fastis reperitur
inscriptum, unus fuit e septem
praecipuis Sancti Jacobi Apostoli
discipulis, qui à beato Petro Epis-
copi postmodum ordinati, & in
Hispaniam ad seminandum Dei

verbum directi, primas ibidem Epis-
copales Sedes fundaverunt. Is ergo
una cum Sociis, Torquato, Ciesi-
phonte, Secundo, Caecilio, Hesi-
chio, & Euphrasio laboriosissimum
onus convertendi ad fidem Gen-
tes, veterum errorum alioqui ten-
nacissimas, alacri, gaudentique
animo suscepit: quas illi fidenter
sperabant à jugo diaboli, divina
virtute solvendas, quantum val-
leūis ethnicae superstitionis nexi-
bus ligabantur. Incliti ergo Chris-
ti athleta, cum post magna, &
ardua itinera Accin superioris Bae-
tica urbem pervenisset, vires ali-
quantum prope ipsam refectori,
quiescebant, quo nimirum die Pa-
ganorum multitudo illis, qui pu-
tantur dii, & non sunt, sacrile-
gum solēni pompā festum ce-
lebrabat. Cum autem aliquos ex
discipulis ad emēdos cibos in ur-
bem misisset, bābara gens dia-
bólico furorē acta, irruit in servos
Dei, quos fugae se committentes,
usque ad amnem non longē fluen-
tem persecuta est.

R. Lux perpetua lucēbit Sanctis
tuis Dōmine. Et aeternitas tem-
porum, alleluia, alleluia. **V.** Læti-
tiam sempiterna erit super capita
eorum, gaudium & exultationem
obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio v.

Pons super flumen erat mirae
magnitudinis, ac tante firmitatis,
ut nulli aëo cæsurus videretur:
quem cum sancti Antistites essent
ingressi, numerosa persecutorum
turba, saxum in ipsos impetum
faciens, ascendebat. Sed ecce repen-
tē divinae virtutis auxilium. Statim
enim ac sancti viri transferebant, in-
gens illa, & elata moles cum fir-
rentium hominum multitudine, hor-
ribili strepitu, in profluentem cor-
ruit. Caeteri verò tanti miraculi evē-

dēntia territi, in se ipsos reverti
coeperunt; ac furorē in reverentia
converso, ad servos Dei accurren-
tes, ut apud ipsos manerēt, invi-
tabant; quo in officio pietatis cae-
teris praefulsit matrona de ordine
senatorio, Luparia nomine, qua
inspirante Deo, sacros Antistites
benigne excepit, ab ipsisque fide
instructa, & baptizata, aediculum
pro sacris Christianorum extruxit,
atque copiosam segetem inde in
hōrrea Dōmini invehentes, Tor-
quatūque ibi primum loci Epis-
copum reliquentes, caeteri ad opus
Apostolici ministerii alibi exercen-
dum progressi sunt.

R. In servis suis, alleluia. **V.** Con-
solabitur Deus, alleluia. **V.** Judi-
cabit Dōminus pōpulum suum, &
in servis suis, Consolabitur.

Lectio vi.

Indalētius autem Urcum finiti-
mam, & olim magnitudine cèle-
brem civitatem erudiendam suscepit;
ibique sedem figens, innumeros
filios, vitae sanctitate, & verbi
virtute, Christo per Evangelium
genuit. Ex quo mirè per totam re-
gionem religio Christiana, ejectione
gentium idolis, propagata est. Ipse
autem multis contactus aerumnis,
ac immensis superatis laboribus, pro
confessione Christi, & fidei Chris-
tiane propagatione, meritis plenus,
ac miraculorum gloria illustris ob-
dormivit in Dōmino. Corpus ejus
ibidem à Christianis religiosissime
sepultum, post generalem Hispaniae
devastationem, ad Monasterium
Sancti Joannis Baptistae, quod à
Pina vocant, in Aragoniae regno,
divina providentia tumulatum, &
honorificentissime translatum fuit.
Sedes autem, novā prope Urcum
extracta urbe, quam modo Almē-
riam vocant, Catholicorum Regum
pietate, restituta est; ac Indalētium,

ut primum ejus fundatorem, ac
praecipuum urbis, & Diocesis Pa-
tronum, summā omnes devotione
venerunt. Ad cuius augmentum
Clemens Duodecimus Pontifex Ma-
ximus, ut acta ejusmodi in ejus festo
legerentur, benignè indulisit.
R. Filia Jerusalem, venite, & vi-
dēte Martyres cum coronis, qui-
bus coronavit eos Dōminus. In
die solemnitatis & laetitia, alleluia.
V. Quoniam confortavit seras por-
tārum tuarum, benedixit filios tuos
in te. In die. Gloria Patri. In die
solemnitatis.

In tertio Nocturno, Homilia in
Evangelium Ego sum vitis vera,
de Communi. xlvj.

Vesper. S. Jacobi cum Commem.
precedentis.

DIE XXIII. MAIL.

In Festo Apparitionis S. Jacobi Aposto-
li, & Hispaniarum Patroni.

Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Ac-
cessit ad Jesum Mater filiorum Zebe-
dae, cum reliquis de Laudibus. 128.
Psalmus. Dixit Dominus, cum reli-
quis de Dominica, 100 & loco ul-
timi, Psalmus. Laudate Dōminum
omnes Gentes. 103.

Capitulum. 1. Cor. 4. b

Fratres, Puto quod Deus nos
Apostolos novissimos ostendit,
tamquam morti destinatos: quia
spectaculum facti sumus mundo, &
Angelis, & hominibus.

Hymnus.

Defensor alme Hispaniae
Jacobe, vindex hostium,
Tonitruj quem filium
Dei vocavit Filius.
Huc caeli ab altis sedibus,
Converte dexter lumina,
Audique laxi debitas
Grates tibi quas solvimus:
Grates rectae Hispania,

Correct 4

Fe-

Felix tuo quæ nómīne,
Ductūque perstat libera,
Vitatque Gentis dedecus.

Tu, cūm jacēret bārbāris
Cedens, & impar hōstibus,
Præbens inexpugnābile
Robur dabas Ramirio

Tu, bella cūm nos cingent,
Ea visus ipso in prælio,
Equoque, & ense acērimus,
Mauros furēntes stērnere.

Per te redēptæ Virgines
Laudis repēdunt cāntica,
Nosque à tribūto liberi,
Hymni tribūtum pēdimus.

Deo Patri sit glōria,
Et Filio, quia à mōrtuis
Surrexit, ac Paráclito
Et nunc, & omne in sæculum.
Amen.

V. Constitues eos principes super
omnem terram, allelūia. **R.** Mé-
mores erunt nómīnis tui Dōmine,
allelūia.

Ad Magalificat, Antiphona.

Visitāvit nos per sanctum suum
Apostolum, & fecit saltem de ini-
micis nostris, Dōminus Deus nos-
ter, allelūia.

Oratio.

Deus, qui Hispaniārum Gen-
tem beato Jacobo Apostolo
tuō protegēdam misericōrditer tri-
buisi, & per eum ab imminēti
exitio mirabiliter liberasti: concē-
de quæsumus; ut eodē protegē-
te pace perfruāmur aeterna. Per
Dōminum nostrum Jesum Christum
Filium tuum, &c.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Christum Regem triumpantem
n̄ terris: * Venite, adorēmus,
allelūia. **Psalmus.** Venite, exultē-
mus. 1.

Hymnus.

Jacobum cēlebre fortis Iberiā;
Jacobum mēritis tollat honōri-
bus,

Per quem, barbārici nēscia fe-
deris,

Victrix imperat hōstibus.

Vectigal trūcibus pēdere flēbile
Urgētur dōminus imperiōsibus;
Centenasque lupis sponte rapāci-
bus

Lectas sistere Virgines.

Aversāta nefas, arma ferōcior
Poscit mox Arabem, fida Ra-
mirio;

It contra: número sed nimis im-
pari

Virtus cēdere cōgitur.

Quid sperāre datur? Prōmicat
athere
Proles horrifici clara tonitruī,
Lunasque acies, āgmina bār-
bara

Sacro lūmine disjicit.

Ardens in mēdiō fertur acinaces,
Instāteq; attonitis: ūndique pā-
vidos

Maurōrum cūneos rumpit, & in-
tegra

Victor prōterit āgmina.

Esto exercituum non superābili
Ductōri, ac Dōmino, jugis ho-
nor Patri,

Cum Prole unigena, almōque
Pneimate,

Per labentia sæcula.

Amen.

**Antiphonæ, Psalmi, VV. primū,
secundi, & tertii Nocturni de
Communi Apostolorum tempore
Paschali.**

In primo Nocturno.

De libro secūdo Machabēōrum
Lectio j. Cap. 11.

Lysias, procurator regis, & pro-
pinquus, ac negotiōrum præ-
pōsitus, graviter ferens de his,
quæ acciderant, congregatis octo-
ginta millibus, & equitatu univē-
so, veniebat adversus Judæos, exis-
timans se civitatem quidem captam
gentibus habitaculum facturum,

tem-

templum verò in pecuniā quæ-
tum, sicut cætera delubra gēn-
tium, habiturum, & per singulos
annos venale sacerdotium: nus-
quam recōgitans Dei potestatem,
sed mente effranatus, in multitu-
dine peditum, & in millibus equi-
tum, & in octoginta elephantis
confidebat. Ingressus autem Ju-
dæam, & appropians Bethsæzæ,
quæ erat in augusto loco, ab Je-
rosōlyma intervālo quinque sta-
diōrum, illud præsidium expug-
nabat.

R. Procēdens Jesus juxta mare Ga-
lilææ, vidit duos fratres, Jacobum
Zebedæi, & Joannem fratrem ejus,
in navi. **R.** Et vocavit eos: qui
statim relictis rētib; & patre,
secuti sunt Dōminum, allelūia.

V. Erant Jacobus & Joannes fra-
tres in navi cum Zebedæo patre eō-
rum, reficiētes rētia sua. Et.

Lectio ij.

Ut autem Machabæus, & qui
cum eo erat, cognoverunt
expugnari præsidia, cum flentu
& lacrymis rogabant Dōminum, &
omnis turba simul, ut bonum An-
gelum mitteret ad salutem Israël.
Et ipse primus Machabæus, sumptis
armis, cæteros adhortatus est simul
secum periculum subire, & ferre
auxilium fratribus suis. Cūque pā-
riter prompto animo procederent,
Jerosōlymis apparuit præcēdens eos
equus in veste candida, armis aureis
hastam vibrans. Tunc omnes simul
benedixerunt misericōrdem Dōmi-
num, & convalescerunt animis: non
solum hōmines, sed & bestias fe-
rocissimas, & muros fērcos parati
penetrare.

R. Vocavit ad se Dōminus Jacobum
Zebedæi, & Joannem fratrem Jacō-
bi, & fecit ut essent secum inter
duodecim, & ut mitteret eos præ-
dicare. **R.** Et imposuit eis nomina,

Boanerges, quod est, filii tonitruī,
allelūia. **V.** In omnem terram exi-
vit sonus eōrum, & in fines orbis
terræ verba eōrum. Et imposuit.

Lectio iij.

Ibant igitur prompti, de celo
habentes adiutorem, & miserā-
ntem super eos Dōminum. Leonum
autem more irrūntēs in hostes, pro-
traverunt ex eis undecim millia pē-
ditum, & equitum mille sexcentos:
universos autem in fugam verterunt,
plures autem ex eis vulnerati nudī
evaserunt. Sed & ipse Lysias turpi-
ter fugiens evasit. Et quia non insen-
satus erat, secum ipse reputans, fac-
tam erga se diminutionem, & intel-
ligens invictos esse Hebræos, om-
nipotentis Dei auxilio innitētes, mi-
sit ad eos: promittens se consensū-
rum omnibus, quæ iusta sunt, &
regem compulsurum amicum fieri.
Annuit autem Machabæus precibus
Lysie, in omnibus utilitati cons-
ulens.

R. Cūm venisset Jesus in domum
principis synagogæ, **R.** Non permi-
sit intrare secum quemquam, nisi
Petrum, & Jacobum, & Joannem,
& patrem & matrem puellæ, allelūia.
V. Et dixit: Nolite flere: non est
mōrtua puella, sed dormit. Non.
Gloria Patri. Non.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Inter innumera, eaque maxima
beneficia, quæ beato Jacobo
Apostolo, ac Tutelari suo munifi-
centissimo accepta refert Hispani-
a, illud in primis memorandum, &
aeternā grati animi significatio-
re colendum est, quod ad Clavigium,
Rivogię montem, olim obtinuit.
Cū enim Saraceni, Hispaniæ lac-
tissime dominantes, centum nobiles
puellas à Christianis exigere con-
suevissent; easque Abderramānus,
potentissimus ipsōrum rex, tribuiti

ne-